ALEXANDER. PP. VII

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.
Morbio 27 (64)

Dilecte fili Salutem et apostolicam benedictionem. Vitae ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio nos inducunt ut te
specialibus favoribus et gratijs prosequamur, volentes igitur tibi qui ut asseris fervore devotionis accensus ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines ad titulum patrimonij tui seu perpetui benefi-
cij ecclesiastici quantocitius promoveri summopere desideras premissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem teque a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti alijsque ecclesiasticis sententijs censuris
et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et abso-
lutum fore censentes supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi ut ab ordinario tuo vel de eius cuius etiam testimonio vita et mores tui commendentur, licentia,
a quocumque alio quem malueris catholico Antistite gratiam et communionem Sedis apostolicae habente in propria dioecesi residente vel in aliena de dioecesani loci consensu Pontificalia exercente per te eligendo ad qua-
tuor minores quatenus illos nondum susceperis quatuor feriatis vel non feriatis seu unica et subinde ad sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines tribus dominicis seu alijs festivis
diebus continuis vel interpolatis etiam extra tempora ad id a iure statuta, ac interstitijs a Sacro Concilio Tridentino designatis non servatis annique curriculo non expectato etiam si in unoquoque ex
dictis sacris ordinibus antequam ad alium promovearis te minime exercueris ad titulum patrimonij tui seu beneficij huiusmodi dummodo illud pacifice possideas, illiusque fructus redditus et proventus ad
congruam tui sustentationem sufficiant, tuque ad id reperiaris idoneus promoveri et promotus in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere et licite valeas apostolica auctoritate tenore presentium
concedimus et indulgemus, necnon ordinario tuo seu alij Antistiti per te eligendo predictos ordines huiusmodi tibi conferendi licentiam impartimur. non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis
ceterisque contrarijs quibuscumque, volumus autem quod donec tibi de aliquo ecclesiastico vel alio annuo redditu ad congruam tui sustentationem sufficiente provisum fuerit patrimonium tuum predictum
si te ad illius titulum promoveri contigerit alienare vel hypothecare nullo modo possis, Datum Romae apud Sanctam Mariam maiorem sub Annulo Piscatoris die XXV. februarij
MDCLXVI. Pontificatus nostri Anno undecimo

S. Ugolinus

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1876400730-10/fragment/page=0001

1666 25/I

Dilecto filio Stephano Tadio Clico Cremonen'
Ciuitatis uel Dioc.

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Morbio 27 (64)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1876400730-10/fragment/page=0002